



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CCXXXIX. Quænam sit causa perpetuæ obdurationis dæmonum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

geli ab apprehensione hominis in hoc, quod angelus apprehendit immobiliter per intellectum, sicut & nos immobiliter apprehendimus prima principia quorum est intellectus: homo vero per rationem apprehendit mobiliter discurrendo de vno ad aliud, habens viam procedendi ad vtrumque oppositum. Vnde & voluntas hominis adhæret alicui mobiliter quasi potens etiam ab eo discedere, & contrario adhærere: voluntas autem angeli adhæret fixe & immobiliter. Et ideo, si consideretur ante adhæSIONEM, potest libere adhærere huic & opposito, in his scilicet, quæ non naturaliter vult. Sed postquam iam adhæsit, immobiliter adhæret. Et ideo consuevit dici, quod liberum arbitrium hominis flexibile est ad oppositum, & ante electionem & post: liberum autem arbitrium angeli est flexibile ad vtrumque oppositum ante electionem, sed non potest. Sic igitur & boni angeli semper adherentes iustitiæ, sunt in illa confirmati, mali vero peccantes sunt in peccato obstinati. De obstinatione vero hominum damnatorum infra dicetur.

In 3. parte
quam non
absoluit.

In corp. art.

Ad primum ergo dicendum, quod boni & mali angeli habent liberum arbitrium, sed secundum modum, & conditionem suam naturæ, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod misericordia Dei liberat à peccato penitentes. Illi vero qui penitentiam capaces non sunt, immobiliter malo adhærent; & per diuinam misericordiam non liberantur.

Ad tertium dicendum, quod adhuc manet in diabolo peccatum, quo primo peccauit, quantum ad appetitum, licet non quantum ad hoc quod credat se posse facere homicidium, & velit facere: & postea adimatur ei potestas, nihilominus voluntas homicidij in eo manere potest, ut velit fecisse, vel velit facere si posset.

Ad quartum dicendum, quod non est tota causa quare peccatum hominis sit remissibile, quia alio suggerente peccauit. Et ideo ratio non sequitur.

Ad quintum dicendum, quod actus demonis est duplex. Quidam scilicet ex voluntate deliberata procedens, & is proprie potest dici actus eius. Et talis actus demonis semper est malus. Quia etsi aliquando aliquod bonum faciat, non tamen bene facit. Sicut dum veritatem dicit ut decipiat, & dum non voluntarie credit & confitetur, sed rerum euidentia coactus,

Alius autem actus demonis est naturalis, qui bonus esse potest & attestatur bonitati naturæ. Et tamen tali bono actu abutuntur ad malum.

Conclusio est. *Demonum voluntas ita obstinata est in suo peccato, ut in æternum in ea sint permansuri.*

DISPVT. CCXXXIX.

Quænam sit causa perpetuæ obdurationis demonum.

Status controuersie. cap. 1.

Causam obdurationis ad naturam ipsorum demonum nonnulli referunt. c. 2.

Obijciunt Damascenus & Fulgentius contra præcedentem rationem. c. 3.

Contra eandem rationem ostenditur, Angelos voluntates suas, & electiones mutare posse. c. 4.

Alia causa obdurationis demonum in malo ex praua dispositione naturæ. c. 5.

Sententia Henrici de eadem re. c. 6.

Vera causa obdurationis demonum. c. 7.

CAPVT I.

Status controuersie.

PRÆTER ingentes cruciatus, quibus, ut fides

Catholica docet, demones in æternum puniendi sunt, est alia multa maior poena demonibus, quam vocant Theologi poenam damni. Hæc autem posita est in perpetua gloriæ priuatione, & in perpetua demonis in malo obstinatione. Obstinatione dico, non quæ est in praua animi in malum obfirmatione, & proposito semper peccandi: sed quæ est in priuatione gratiæ diuinæ, quæ à peccato resurgere, & aliquid bonum posset operari: vtroque enim modo vsurpari obstinationem, ostendi supra disputat. 95. cap. 10. & obdurationis, quæ est culpa, Deum non esse causam; obdurationis autem, quæ est poena, Deum esse authorem, demonstravi. Obstinatio autem, quæ est poena, de qua nunc nobis est agendum, duplex est. Altera in eo consistit, ut demones non possint à peccato resurgere & iterum iustificari: & de hac differemus in præsentī disput. & seq. Altera vero in eo posita est, ut demones nequeant bonum aliquod operari: & de hac tractabimus disputat. 240. Præsens autem controuersia de impotentia demonis, ut conuertatur ad Deum, non est de causa eius: nam in confesso omnibus est, conuersionem ad Deum sine gratia fieri Dei non posse: Deum quoque secundum potentiam suam absolutam posse gratia sua demones ita præuenire, ut ad ipsum conuertantur, & peccatorum suorum ipsos verè peniteant, nemo inficiari potest: nulla enim est adeo rebellis, & in malo obfirmata voluntas, quam Deus misericordia sua ad se conuerrere, & emollire nequeat: tamen *Anselm. lib. 1. Cur Deus homo, cap. 16.* impossibile censetur, angelos semel lapsos in peccatum cum Deo reconciliari: quod sanè nulla ratione ipse probat; neque probare villo modo potest. Sed questio tantum erit in reddenda ratione, ob quam, cum Deus diu multumque expectet homines peccatores, ut post multa etiā peccata ad cor redeant, nec illis subtrahat gratiam suam, ut valeant conuerti: angelis tamen statim post vnum peccatum ita gratiam suam subtrahit, &

Duplex obstinatio acceptio.

rit & perpetuo eos dereliquerit, ut amplius ad primum statum redire non possint: nam de perpetua ipsorum damnatione post unum peccatum nemo dubitat. De tempore autem obdurationis & damnationis, utrum inceperit in primo instanti, quo incepit peccatum, an post aliquam durationem illius, & utrum in via, an solum in inferno inceperit, dictum est supra disp. 228. c. 7.

CAPVT II.

Causam obdurationis ad naturam ipsorum demonum nonnulli referunt.

IN proposita vero difficultate nonnulli Scholastici arbitrati sunt, ideo post unum actum peccati Deum denegasse gratiam suam demonibus, & perpetuo obdurationem reliquisse, quia voluntas angelica ex se libera est ad electionem, ut ei, quod semel plena deliberatione elegerit, immobilis adherere. Nam cum Deus conferat gratiam suam secundum modum subiecti: maxime consentaneum rationi fuit, ut statim post unum peccatum ex plena electione commissum, gratiam suam perpetuo demonibus denegaret. Neque enim auctores huius sententiae existimant, impossibile fuisse Deo, donare demonibus gratiam, ut ad ipsum per penitentiam converterentur; sed solum asserunt, servasse Deum debitum modum negandi demonibus suam gratiam conversionis, statim post unum peccatum; quia hoc erat secundum modum naturæ ipsorum, sicut explicatum est. Hanc rationem sequuti sunt Alex. 3. p. q. 1. m. 2. S. Tho. Calet. & recentiores Thomistæ in hoc art. 2. Capreol. in 2. d. 7. q. 1. art. 1. concl. 2. art. 8. ad argumenta Scoti 3. loco adducta contra eandem conclus. sed præsertim ad 2. Ferrar. 4. cont. gent. c. 95. §. Aduertendum secundum, quam rationem etiam tetigit S. Tho. in eo cap. sub finem refertur quoque pro eadem ratione Palud. in 4. dist. 50. q. 1. ipse tamen aliam diuersam assignat, quam & nos c. 7. memorabimus. Quo modo autem angelus post electionem liberam immobilis adherere rei, quam elegerit, hoc modo explicant. Facultas appetens proportionem habet in sua operatione cum facultate cognoscente à qua mouetur, sicut mobile à suo motore: differt autem apprehensio & cognitio, qua angelus aliquid apprehendit, & cognoscit ab apprehensione, quam habet homo, quod angelus omnia apprehendit, sicut homo prima principia per se nota; quia quæcumque angelus cognoscit, sine discursu cognoscit, homo autem solum hoc modo cognoscit prima principia, cetera namque per discursum tantum intelligit; ergo sicut homo immobilis adheret primis principiis, quia sine discursu ea cognoscit, ab alijs vero moueri potest, quia discursus desicere potest; eodem pacto angelus in intellectu suo non tantum primis principiis, sed etiam reliquis omnibus, quæ cognoscit, immobilis adheret, cumque voluntas & facultas appetendi proportionem habeat in sua operatione cum facultate cognoscente efficitur, ut post electionem aliquis rei, ei immobilis adherere, sicut intellectus adheret rei quem semel intellexit. Marfil. referens hanc rationem S. Thom. in 2. quæst. 5. art. 5. ita mentem illius interpretatur, ut loquatur de potentia ordinata Dei, non quod Angelus secundum naturam consideratus ab eo, quod semel elegerit, hæc non possit.

ARTIC. II.

CAPVT III.

Obijciunt Damasc. & Eulgent. contra præcedentem rationem.

Fundamentum prædictæ rationis, nempe angelum immobilem adherere rei, quam semel libere elegerit, multis visum est difficile ad intelligendum, nec satis firmum, quo ratio memorata niti possit. Eam vero ex professo impugnat Egid. & ipse S. Tho. discipulus, & auditor, Scot. Duran. & Gregor. locis inferius allegandis; quorum obiectiones primum in medium proferemus, ut inde, si fieri possit, in benigniorem sensum rationem allatam interpretemur. In primis autem reicienda est interpretatio, quam Marfilus adhibuit, ed quod manifestam continet (ut aiunt) petitionem principij, sicut ipse quoque nouit. Nam cum querimus, quare tam cito post unum actum demones mauerint obdurati perpetui; si respondant prædicti doctores, idem angelum esse obduratum post unum actum, quia de potentia Dei ordinata denegans gratiam suam ad penitentiam redire non potest, nec ab eo quod semel elegerit, dinoueri: certe eorum ratio minus sufficiens est huius enim rationem querimus, & in hoc tanta controversia inter Doctores est, quare Deus tam cito denegauerit auxilium gratiæ suæ, ne ad penitentiam illum angelum, ut posset reuocari? cuius rationem conuenientem conatur assignare doctores in 2. c. allegati, ob quam Deus tam cito demonibus gratiam suam perpetuo denegauerit, quia nimirum conueniens erat nature ipsorum, quæ statim atque aliquid libere elegerit, ei perpetuo adhereret. Ceterum, ut dicitur, principium huius rationis nempe angelum immobilem adherere electioni semel factæ, multis difficile visum est. Primum autem Damasc. 2. lib. de fide. c. 3. præp. initium, oppositum plane docuisse videtur. Ibi enim edicit naturam angeli his verbis. *Esigitur Angelus natura rationis participans, intelligens perpetuo motu, cuiusque libertate prædictus voluntatis, ac sententiae rationis mutabilis hoc est, liberam in viam, partem voluntatis habens.* Est autem in Græco vox ἀκίνητος, quam præter trasilic Billius *perpetuo motu prædictus*, est enim Græcis ἀκίνητος, si verbum pro verbo reddas, idem omnino quod Latine, *semper mobilis*. Hoc autem significat Damasc. Angelum ita esse liberi arbitrij, ut non tantum ante electionem possit quamlibet partem amplecti, sed etiam ut post electionem possit in contrariam partem mutari. Primum quia, ut inferius probabitur liberum arbitrium quod ex se potest ante electionem in utramvis partem inclinare potest etiam post electionem; quia ex electione libera immutabilitas aliqua in voluntate oriri nequit. Tum etiam, quia si angelus solum esse liber ante electionem, ut vnâ vel alterâ partem eligeret, ut velle; deinde autem immobilis adhereret parti, quam eligeret, non recte diceretur semper mobilis, aut perpetuo motu prædictus; siquidem immutabilis, aut perpetuo motu prædictus, idem est quod electa electione, ab ea iam amplius dimoueri non posset. Ad hæc Damasc. non ita dicit, angelum esse semper mobilem: sed etiam sententiae ratione mutabilis, Græcè *ῥησιμὸν καὶ ῥησιμὸν*, Latine *mutabilis*, Græcè *ῥησιμὸν* pro verbo, idem est quod ro, si reddamus verbum pro verbo, idem est quod mutabilis secundum sententiam; Inquit etiam, angelum esse voluntate mutabilem, quod Græcè dicitur *ῥησιμὸν καὶ ῥησιμὸν*, hoc est, Latine, voluntate mutabilis; atqui ex eo quod angelus sit liber in utraque parte,

Alexand.
S. Thom.
Caletam
Capreol.
Ferrar.

Paludan.

Marfil.

tem, non dicitur mutabilis sententia & voluntate: idem enim est, sententia & voluntate aliquem esse mutabilem, quod mutare posse voluntatem & sententiam, quam semel habuit: nam qui sententiam aut voluntatem, quam semel libere sequutus est, mutare nequit, quia ratione dici potest sententia & voluntate mutabilis: alioquin & deus, qui libere multa discernit & statuit, quorum contraria velle posset, diceretur sententia & voluntate mutabilis, quod est absurdum. Confirmant deinde id, quod dixerat Damasc. hoc modo: *Quidquid n. creatum est, mutationi quoque subit, necesse est. Id enim vnum extra mutationis aleam est, quod nihil habet, à quo sit creatum.* Cum igitur voluntas Angeli sit creata, & sola diuina increata sit: sequitur voluntatem Angeli mutari posse, & diuinam solum non posse. Et cum dixisset, angelum libertate arbitrij præditi esse, subiungit: *Angelus itaque vi rationis & intelligentia particeps, liberi arbitrij est, ut autem creatus in ea conditione erat, ut mutationem recipere posset, liberumque ei esset, vel in bono manere ac profectum facere, vel in malum inflecti.* Mutationem igitur voluntatis angeli in eo constituit, ut incepto bono manere, & in malum declinare possit: relinquere autem bonum inceptum, est voluntatem boni mutare: ergo eodem modo poterat voluntatem, & propositum malum relinquere, & ab eo mutari: non dico vera penitentia, & salutari ex proprijs viribus, sed suapte, natura aliqua retractatione male voluntatis, nam neque homo potest ex proprijs viribus malam voluntatem vera penitentia salutari retractare: ob id tamen non dicitur suapte natura inflexibilis ab eo malo, quod semel elegit.

Respons.

Cessatur.

8.

Respons.
resoluitur.

Secundo respondere posset quis, angelum non flecti posse ab eo quod semel plene elegit: & ideo ab eo quod in primo instanti voluit, fuisse per peccatum in secundo instanti mutatum. Hoc tamen responsum frivolum est, inferius ostendam.

Tertio obijcere nobis posset quis eundem Damascenum, qui in eodem capit. citato inquit, *Penitentia porro caratione minime capax est, quia corpore vacat.* Quibus verbis docere videtur, Angelum natura sua capacem non esse penitentia. Respondet Damasc. nomine penitentia non intelligere quancunque retractationem prioris voluntatis;

Vasquez in 1. p. Tom. 2.

hanc enim planè concesserat Angelo, cum dixerat, esse sententia & voluntate mutabilem: sed planè intelligit donum penitentia, quod est à Spiritu sancto, quo peccatum deletur. Huius autem inquit Damasc. donum capacem non esse, hoc est, hanc penitentiam illi non donari, cum tamen detur hominibus: quia de non corpore vacat, hoc est, sine carnis incentiuis peccavit. Vnus autem est nomine Græco, ἀντὶ δόξης, quod significat non capacem, non admittentem: non ut negaret capacitatem, & penitentiam in Angelo recipiendi huiusmodi donum, cum nemo id aliqua specie probabilitatis asserere possit, sed ut denotaret, tale donum Angelo non concedi.

Præterea contra eandem rationem allegatam ea, præced. obijci potest idem Damasc. in eodem cap. ante finem, ubi cum dixisset, Angelos suapte natura ad malum, licet cum difficultate moveri posse subdit: *Nunc vero (hoc est, in beatitudine) ea iam conditione sunt, ut nec vix quidem moveri atque inflecti queant: quod tamen non eorum natura, sed gratia tribuendum est: si autem verum esset id, quod doctores memotati cap. 2. in sua ratione supponunt, nempe Angelos natura sua inflexibiles esse ab eo quod semel elegerunt: sequeretur, Angelos post meritum confirmatum, & perfectum in vitam amplius peccare non posse: & ita id non esset gratia Dei tribuendum, ut dicit Damasc. Omnem autem inflexibilitatem convenire creaturæ ex gratia Dei, fufius ex doctrina patrum ostendimus supra disput. 130.*

Contra eandem rationem obijcere possemus Fulgentium lib. de fide ad Petrum cap. 3. ante medium, ubi cum dixisset, Angelis, & hominibus facultatem à Deo ita concessam esse cognoscendi ac diligendi Deum, ut eam quisque habere posset, & perdere, subiungit: *Si quis tamen sponte eam perderet, suo deinceps arbitrio resumere non valeret, ut illius esset sanctæ cogitationis initia gratuita dono bonitatis de novo revocandis, quibus vellet, infundere, cuius fuit, in ipso creationis exordio nullis præcedentibus meritis spiritus, & corpora, loci atque affectionibus, prout ipse sapiens voluit, congrue, & mirabiliter exordinare. Quo loco Fulgent. æquam rationem esse dixit in vtriusque, non recuperandi iustitiam per penitentiam: quia illam recuperare, divini muneris est, non naturæ. Ac proinde non posse illam recuperare non refert S. Fulgent. in naturæ inflexibilitatem, sed in gratia perpetuam privationem. Probat deinde Fulgent. his verbis: *Bona quoque voluntatis, & cogitationis initium non homini ex ipso nascitur, sed diuinitus & preparari & tribui in eo Deus evidenter ostendit: quia neque diabolus, neque aliquis Angelorum eius, ex quo ruina illius merito in hanc inferiorem sunt detructi caliginem, bonam potuit aut poterit resumere voluntatem. Quod si possibile esset ut humana natura postquam à Deo aversa bonitatem perdidit voluntatem, ex ipsa rursum eam habere posset, multo possibilius hoc haberet Angelica, quæ quanto minus gravatur terreni corporis pondere, tanto magis hæc esset prædita facultate.* Hæc Fulgentius. Ex quibus duo ego colligo argumenta contra rationem allatam capit. præcedenti. Alterum est, si verum esset, quod doctores allegati ibidem affirmant, nempe angelum ex se inflexibilem esse ab eo, quod semel elegit: non rectè probaret Fulg. diuinæ gratiæ esse amissam bonam voluntatem recuperare, ex eo quod demon eam non recuperavit: nam quisque faciliè dicet:*

Ooo

lè dicet:

le dicere posset, ideo angelū per non recuperasse penitentiam priorem statum quia semel facti per electionem ipsius penitere non potest eo, quod inflexibilis sit; hominem autem ideo posse per penitentiam in pristinum statum restitui, quia suapte natura ipsum penitere potest facti, & ab eo, quod semel plene elegit flexibilis est. Alterum argumentum est; si vera esset prædicta propositio quam ratio illa capite præcedenti posita supponit, non recte inferret Fulgentius, ex eo quod homo posset proprijs viribus priorem bonam voluntatem resumere facilius id posse supremum Angelum efficere: nam licet homo, qui corporis mole grauatus est, id posset efficere, non recte loqueretur, Angelo etiam id possibile fore siquidem homo ab eo, quod semel voluit, potest mutari: Angelus vero ab eo quod semel elegit: flecti nequit. Supponit igitur Fulgentius, angelum etiam mutari posse, ut in directe inferat, facilius fore angelo priore bonam voluntatem resumere, quam homini, si homo proprijs viribus eā recuperare valet.

CAPVT. IV.

Contra eandem rationem ostenditur, Angelos voluntates suas, & electiones mutare posse.

Contra fundamentum præcedentis rationis non solum auctoritate, sed etiam efficacibus rationibus agere possumus, atque in primis ostendere, non solum Angelum potuisse mutare suam electionem, quam semel habuit, sed etiam de facto mutasse. Primum quidem, quia constat daemones mutasse electionem, & iudicium, quod prius habuerant, circa mortem Christi: prius enim diabolus, cum misit in cor Iudæ, ut traderet Christum Iudeis Ioannis 13. diligenter mortem Christi procurauit: postea vero per uxorem Pilati Matthæi 27. suadere conatus est Pilato, ut Christum non crucifigeret: nam Pilato sedenti pro tribunali scripsit mulier, *Nihil tibi, & iusto illi, &c.* Respondet Caiet. in hoc ar. §. *Ad dubium contra antecedens*, quem sequuntur recentiores Thomistæ, cum dicunt Doctores allegati, angeli voluntatem esse immutabilem ab eo, quod semel indicauit, & elegit intelligendum esse de iudicio, & electione plena: daemones autem cum primum suasi Iudæ, ut traderet Christum Iudeis, non plene iudicasse, nec ex plena electione illud fecisse: & ideo postea fuisse mutatum. Cæterum quis non videat, Caietanum hoc effugium sine fundamento exco-gitasse? Vnde namque diuinare potuit, mentem daemones non plene iudicasse, & elegisse, id quod circa mortem Christi primum decreuerat; sed contra ipsum ratione agamus. Aut per iudicium, & electionem plenam intelligit Caiet. eam quæ sufficit ad peccatum mortale, & hac ratione negare non potest angelum ex plena electione, & deliberatione decreuisse, Iudam inducere ut traderet Christum Iudeis, ut manifeste constat: aut per electionem plenam intelligit eam, quæ procedit ex iudicio sine inconsiderantia alicuius circumstantiæ, & sine defectu: & sane cum ex sententia Caiet. dæmo peccauerit, primo peccato ex inconsiderantia, ut retulimus disp. 234. cap. 2. contra ipsum planè sequitur, non minus potuisse daemones reuocare voluntatem primi peccati, quam illam aliam voluntatem suadendi mortem Chri-

ARTIC. II.

sti, si eam desiderauerit, & suauiter non plena electione, ex aliqua inconsiderantia. Si autem voluntatem occidendi Christum reuocare potuit, quia ex defectu aliquo intellectus peccauit, cum certum sit, omne peccatum nasci, ex aliquo defectu intellectus, ut notauit disp. 231. c. 5. ex professo probandum est, 1. 2. q. 77. a. 2. efficitur, daemones non adhærere ex se immobilem peccato, quod ex electione commisit.

Deinde constat etiam omnes angelos qui peccarunt, mutasse priorem voluntatem, in qua creati sunt. Nam ex sententia Sancti Thomæ, quam ostendi disputatione 227. esse veriorē, omnes fuerunt in gratia, & dilectione Dei creati, & tamen deinde peccarunt, & Deum intimo odio prosequuti sunt: ergo Angeli non adhærent immobiles, rei quam semel elegerunt. Respondet fortasse aliquis, posse Angelum flecti de bono ad malum, quia hoc sine gratia Dei potest: tamen de malo ad bonum quia ad hoc egerat gratia Dei. Verum hoc responsum argumentum propositio nihil obest, quia cum hic concedimus, posse Angelum flecti ab eo quod semel elegit, nec immobilem ei adhærere, loquimur non de conuersione frugis penitentis, sed de quocunque genere retractationis, ex quocunque, sine, quia quidem sufficienter tollitur in nobis adhærentia voluntatis ei, quod semel elegit: nam si de conuersione ad bonam voluntatem priorem per fructuosam penitentiam esset sermo, idem omnino de homine, quod de Angelo dicendum esset, nempe non posse ipsum penitere peccati frugis, & salutari penitentia: sed Caiet. in hoc ar. §. *Ad dubium contra antecedens*, & Ferratiensis capit. citato §. *Aduertendum tamen*, respondent doctrinam sancti Thomæ intelligendam esse de voluntate perfecta: & completæ electionis, ex perfecta iudicii apprehensione, ut ab hac electione semel facta nequeat Angelus dimoueri. Vocant autem perfectam electionem, quæ est cum indifferentia, & libertate ad malum, & bonum. Et quia Angelus in primo instanti peccare non potuit, ac proinde neque hoc modo perfecte elegit: idcirco ea electione dimoueri potuit. Verum hæc solutio facile refelli potest. Primum quia, Angelum non potuisse in primo instanti peccare, difficile admodum est, ut supra disputat. 237. monstrauimus. Deinde si tota ratio, ob quam Angelus non potest dimoueri ab electione, quam semel perfecte fecit, est, quia perfecta electio fit ex perfecto iudicio: eodem modo dimoueri non posset Angelus ab electione, quam semel fecit in primo instanti sine libertate peccandi, sicut ab ea, quam postea fecisset, cum hac libertate: quia etiam illa, quæ facta est in primo instanti, fuit ex plena, & facto iudicio: neque enim quicquam obstat penitentiæ, & perfectioni iudicii impotentia peccandi: alioquin nec in Deo perfectum iudicium esset, quod est absurdum: cum igitur in primo instanti Angelus perfecte, & absque inconsiderantia, & absque villo defectu intellectus elegerit bonum nunquam posset ex quacunque prauitate ab hac electione diuelli. Et sane si primus actus in Angelis, quo dilexerunt Deum, fuit naturalis, & non omnino liber, ut concordant Doctores, qui existimant, non potuisse Angelum in primo instanti peccare: quia etiam defendunt Angelum immobilem esse ab eo, quod semel elegit.

Angelus mutauit iudicium quod prius habuit circa mortem Christi.

13. Caietan.

14.

difficilius Angelus dimoueri posset ab illa prima voluntate, quam à quacunque alia, quæ non esset naturalis.

Quod si dicas, ideo potuisse Angelum separari ab amore, quo Deum in primo instanti dilexit, & ipsum Deum odisse, quia potuit nouiter considerare aliquas rationes, ob quas ipsum odio haberet, quas non considerauit in principio: contra hoc obijciemus, potuisse etiam Angelum peccatum suum, quod primo commisit, reuocare ex noua aliqua consideratione: tum in sententia eorum, qui dicunt, Angelum ex inconsiderantia peccasse, ex quorum numero est ipse Caiet. & Ferrar. ut vidimus disp. 234. cap. 2. contra quos nunc disputamus: sic enim posset Angelus postea considerare id, quod considerauit. Tum etiam in omni sententia: quia nullum est peccatum, quod non committatur ex defectu alicuius perfectæ considerationis, qua posset quis retrahi à peccato, ut supra dicebamus.

Deinde ex his, quæ diximus, sumitur aliud non leue argumentum contra prædictam rationem, quod vim saltē habet contra Caiet. & Ferrar. Nam si Angelus peccauit ex inconsiderantia, ut ipsi affirmant: & postea Angelus vidit, se non considerasse quod debuerat (dæmones enim credunt & tremisunt, Iacobi 2. c. 10. nec ignorare potuerunt se non considerasse quod debuerant) facile quidem habuit principium in ipso iudicio rationis, ut prauam illam electionem reuocaret utcumque & fructuosa penitentia retraheret, si Deus gratiam illi conceisset. Respondet tamen Caiet. in hoc artic. §. Ad hoc breuiter dicitur, Angelum quidem ex inconsiderantia peccasse: & postea, cum aduertit, cessasse in eo inconsiderantiam speculative, sed non affectiue (sic ille loquitur) hoc est, non fuisse suppletam inconsiderantiam fructuosa consideratione, quæ moueret affectum in contrarium. Respondum tamen frivolum est: argumentum enim non contendit, post peccatum ex inconsiderantia dæmonem habuisse talem considerationem, quæ moueret affectum ad penitentiam: hoc enim contra controuersiam est, cum sine gratia Dei ea haberi nequeat, gratia autem denegata sit Angelis perpetuo post primum peccatum: sed argumentum contendeat, Angelum speculative vidisse suam inconsiderantiam, ex qua peccauit: atque adeo non habuisse ex parte iudicii in peccato illo principium perpetuæ adhesionis: imo & habuisse principium, quo posset priorem electionem retrahere, cognito defectu prioris iudicii: siquidem ex sententia Doctorum, quos in primo capit. memorauimus, immutabilitas electionis in Angelis ex perfecto iudicio sine defectu prouenire debet.

Postremo, sicut supra dicebamus, cum omnis praua affectio voluntatis, etiam in angelis, procedat ex aliquo defectu in intellectu, quo quis leuius considerat ea, quæ à peccato deberent animum retrahere, quam ea quæ ad peccata movent, sequitur, ex parte iudicii, etiam in Angelis manere principium mutabilitatis ab eo, quo semel Angelus elegit: & hoc etiam in omnibus electionibus, in quibus non est peccatum, locum habet in angelis: alioquin ab honesto, quod angelus semel elegit secundum virtutem, moueri non posset sicut ab eo, quod semel prauo elegit, diuelli nequit: quod est absurdum. Imo vero si iudicium

Vasquez in 1. p. Tom. 2.

angeli ita esset perfectum semper, ut ab electione semel facta non posset mutari: sequeretur etiam, non esse in Angelo libertatem in vtramvis partem ante electionem. Nam si statim perfectio illo iudicio in vnam partem posset Angelus eligere: ita eodem modo posset facta semel electione ex illo perfecto iudicio, eam partem quam iudicauit, reuocare in contrarium: quia non videtur maior ratio, ob quam voluntas ex tali iudicio libera relinqueretur in vtramvis partem ante electionem, & non post electionem: si autem, itante perfecto illo iudicio, non posset electionem factā reuocare, sed necessario ei parti, quam elegit, adhereret: efficeretur, ut ante electionem ex illo iudicio tollatur libertas: quod est absurdum. Nam elegisse ante, aut non elegisse, non determinat voluntatem, nec tollit libertatem illius. Præsertim quod totam radicem & causam immobilis adhesionis vni parti reducunt auctores allegari, non ad electionem factam, sed ad perfectionem iudicii. Hanc rationem videtur tenuisse Scotus in 2. d. 7. q. 1. §. Contra conclusionem istam, hoc modo: voluntas non est causa volendi, nisi quatenus est prior secundum naturam operatione volendi: ergo tandiu eodem modo comparatur cum aliqua volitione, & obiecto, quamdiu in se ipso non variatur: sed eodem modo se habet in se post electionem, quo se habebat ante illam: ergo si antea libera erat, manebit quoque libera post electionem. Porro autē voluntatem, quatenus est principium volendi, eodem modo se habere in se ante, & post electionem, probat Scotus; quia agens, quod ex se potest varios effectus producere, eo quod vnum producat, non impeditur ab alterius productione. Adde etiam quod si voluntas post electionem in se omnino immutata, non maneret libera, hoc saltem prouenire deberet ex varia apprehensione rationis. Namque voluntas beati in se omnino immutata non manet libera, ex eo quod cognitio obiecti variata est: cognitio autem Angeli in via, siue ante electionem, siue post illam, non variatur, ergo si cum tali genere cogitationis, & iudicii libera fuit voluntas, & quam vellet partem eligeret: libera quoque manebit, ut ab electione semel facta dimoueri possit, non minus, quam antea ad vtramvis partem libera erat.

CAPVT V.

Alia causa obdurationis demonum in malo ex praua dispositione naturæ.

ALIAM causam obdurationis demonum ex parte ipsorum assignat S. Th. 4. cont. gent. c. 95. in hunc modum. Finis respectu voluntatis se habet, sicut prima principia respectu intellectus in speculatiuis: error autem in speculatiuis aliter emendari debet, quam error circa conclusiones: nam error circa conclusiones emendari potest per vera principia recte disposita in argumentatione: error autem circa principia non potest aliter tractari, & emendari, quam ablata praua dispositione, ex qua prouenit. Eodem pacto circa finem contingit in voluntate: vnusquisque enim habet desiderium naturale vltimi finis, & ita desiderium beatitudinis naturale est omni naturæ rationali: hoc autem aut illud desiderari sub ratione vltimi finis & beatitudinis, ex aliqua peculiari dispositione naturæ prouenit: id quod recte Aristot.

O o o z indi-

indicavit Arist. 3. Ethic. cap. 4. illa sententia. *Qualis vnusquisque est, talis ei finis videtur.* Quocirca si hæc dispositio voluntatis, ex qua prouenit, ut aliquid desideretur à creatura rationali ut ultimus finis, sicut contingit in quouis peccato, remoueri nequeat, non poterit emendari voluntas circa ultimum finem, nec retractari: ab homine autem in hac vita degente remoueri potest praua illa dispositio, non tamen ab anima in alia vita; atque eadem ratione neque ab Angelo.

21.
Difficilis
apparet hæc
ratio.

Hæc tamen ratio difficultate non caret, si uelit aliquid peculiare assignare ex parte demonis, quod non sit in homine, propter quod Deus denegat auxilium gratiæ suæ, & inde dæmō moneat obstinatus. Et primum quidem praua dispositio ex parte intellectus, ob quam errare cōtingit circa principia, in hoc tantum posita est, ut homo non apprehendat extrema propositionis, quæ est primum principium, aut si ea apprehendit, quia tamen cognoscit ea per alienos conceptus, & non sicut sunt, non attingat vis intellectus eam expressionem notitiæ, quæ extrema illa representatur ut secum conuenientia. At circa ultimum finem errare contingit vno ex duobus modis, aut ex errore intellectus, quia existimat in aliqua re creatura inueniri complementum omnis boni ut multi philosophi arbitrati sunt, & hoc modo Angelus decipi non potest, sed homo quādiu in hac vita est: huius autem erroris facili conuincitur anima separata ipso experimento: quare ex hac parte non adhaerebit immobilis ultimo fini, quem semel eo modo elegit. Angelus quoque si hoc modo aliquādo circa ultimum finem, errasset absque dubio ipso euentu damnationis conuictus dimoueretur ab errore intellectus: atque adeo ex hac parte non adhaeret immobilis fini, quem semel elegerat. Loquimur autem de retractione prioris electionis non per fructuosam penitentiam & secundum virtutem, sed ex quocunque alio fine ut in superioribus etiam admonuimus. Aut circa ultimum finem contingit errare per quodcunque peccatum mortale, quo dicimus, in creatura ultimum finem constitui: & hoc modo tantum peccauerunt Angeli, & homines ut plurimum peccant: pauci enim fuerunt, qui errarent constituendo summam felicitatem in re aliqua creata. In quouis autem peccato mortali constituitur ultimus finis, non qui semel felicitatis, sed ea duntaxat ratione, quia amatur aliquid gratia sui contra Deum dilectum amore charitatis, eo ipso quod amatur contra eius præceptum, & amor ita notabilis est, ut vinculum charitatis cum Deo dissoluatur ut 1.2. quæst. 1. artic. 5. & quæst. 11.3. artic. 2. explicabitur. Et hoc modo errauit voluntas Angelorum circa finem absque errore iudicii in intellectu, sicut ex inconsiderantia, sicut dicunt Thomistæ allegati in disputatione 274. capite secundo, aut, quod uerius est, ex defectu intellectus efficacius proponentis id, quod ad peccandum inclinabat, quam id, quod à peccato retrahere deberet. Hic autem defectus intellectus non est natura sua immutabilis: imo uero creatus intellectus etiam Angeli, talis est, ut modo vnum, modo aliud efficacius proponat: ergo error voluntatis circa finem proueniens ex tali errore intellectus, suapte natura non est immutabilis in Angelo, sicut in homine.

22.
Ceterum nonnulli Thomistæ hanc animæ se-

ARTIC. II.

parata, aut Angeli dispositionem, qui immobilis adherent rei, quam semel elegerunt, explicat hoc modo: non quod sit qualitas aliqua ex peccato relicta, inducens voluntatem necellariam (hoc enim quis dicat) sed quoniam quomodo modum graui, ut tendat deorsum, quando extra suum locum est, debetur concursus primæ causæ, ut tendat deorsum, iuxta ordinem naturæ debitum, & contra naturam negaretur: quando autem est in suo centro iam amplius ei non debetur: ita etiam naturæ intellectuali quando est in suo termino, non debetur concursus: sed potius ita ordinatur, ut quiescat in suo fine, quem sibi elegit. Et hoc est, tolli non posse prauam affectionem circa finem, cui adhæsit Angelus in via. Verum hi Thomistæ non defendunt rationem Sancti Thomæ, sed nouam adhibent: nec enim dicit Sanctus Thomas, ideo Angelos penitere non posse, quia sunt in termino: sed quia dispositio suæ voluntatis circa finem ab eis tolli non potest: ut inde ostendat: ipsos iam in termino esse. Prætereā ab his doctoribus inquiremus, utrum angeli post peccatum sint in termino naturali, sicut lapis in centro: an in termino præternaturam, Deo ita disponente propter peccatum ipsorum, cum tamen possent longiorem viam illis concedere, ut ad penitentiam conuerterentur: certe dici non potest, eos esse in termino, sicut lapis est in centro naturaliter: neque enim naturale est Angelo puniri pœna damni & oblationis, sed propter naturam: tamen si peccata ipsius eam penitentiam satis digne mereantur: ergo dicendum est, Angelos esse in termino ex sola Dei voluntate deuegitæ perpetuo gratiam suam propter ipsorum peccata: non quia Angelus suapte natura adhaerentia prauæ illi dispositioni, ut nullo modo ab ea diuelli possit, non solum fusi penitentia, sed et quocunque etiam fine.

CAPVT VI.

• Sententia Henrici de eadem re.

DEmum Henricus quodlibet 3. q. 11. refert opinionem quorundam, qui dicebant, obstinationem demonis, & animarum in malo, ex eo prouenire, quia voluntas quo magis libera est, & perfectior, eo vehementius se immergit in voluptatem, & rem quam eligit, hoc est, tanto maiori amore ei adheret: cum igitur sit in perfectione libera natura Angeli, & animæ separatae, ut si ne villo carnis stimulo ex se ipsis sectantur in rem, quam amant, adeo vehementer in illam se immergunt & infigunt, ut ab ea dimoueri villo modo nequeant. Huic sententiæ licet consentiat Henricus, addit tamen hoc modo non satis explicat modum obstinationis Angelorum, & animarum separatarum in malo. Quo circa ipse hoc amplius explicare conatur his verbis. *Voluntas cum est in perfecta libertate, habita completa deliberatione, tantum efficacia currit in peccatum ponendo in eo ultimum finem, ut veniens ad oblectamentum synderesis, nec illi resistat, sed contemnendo impingat in illam, & irreuerditur, ut retrahere se nec velit, nec possit: quādiu autem si ferrum acutum penetrans carnes in naturam ossium retundatur, ut extrahi non possit. E contra vero homo viator, quia tanta efficacia impingere non potest, ideo semper reuerti potest quādiu in via est.* Hactenus Henricus. Conuenit igitur hæc modus philosophandi cum primo, eo quod docet, Ange-

Angelum ex se ita libere ferre in id, quod plena deliberatione prosequitur, ut ab eo postea diuelli nequeat: atque adeo sicut in universum intellectus eadem omnino patitur difficultates, quas & primus ille modus. Differt autem ab eo, quod ille totam causam huius immutabilitatis post electionem refert in perspicacitate intellectus, contra quem modum capit. 3. & 4. aliquas proposuimus difficultates. Hic autem modus totam immutabilitatem reuocat in magnum & liberum impetum, quo fertur voluntas Angeli, & animæ separatae in rem quam amat. Sed ita parabolicè rem hanc explicare conatur auctor illius sicut rectè notauit Scotus in 2. distict. 7. q. 1. §. Contra conclusionem, versiculo Contra secundam viam, ut nulla ratio nem intelligi possit, & rem ipsam magis difficilem reddit. Oportebat enim explicare, quid habeat voluntas Angeli, & animæ separatae post electionem liberam, ut reuertatur, & ita affixa maneat, ut diuelli nequeat: nam exemplum illud ferri acuti crassum nimis est, nec illo modo rem explicat. Deinde falsum est, quod ait voluntatem, quo magis libera est, eo maiori impetu semper ferri in obiectum: nam cum sit perfectè libera, in potestate eius est, magis, & minus in obiectum ferri. Præterea, quod hæc sententia dicere videtur, animam hominis separatam contrahere obstinationem per aliquem actum post separationem, non minus falsum est, ut rectè notauit Scotus loco allegato. Nam si per actum in alia vita contraheret obstinationem, maxime per primum, ac proinde primus actus non procederet ex obstinato: posset igitur Angelus primo actu retractare peccata, quæ commisit in via, essetque locus penitentiae in alia vita. Hac ratione vitur Scotus contra prædictum modum Henrici.

CAPVT VII.

Vera causa obdurationis demonum.

IN hac difficultate existimo primum, vnicam & propriam causam inflexibilis obstinationis demonum, ut bonam voluntatem resumere nequeant, esse subtractionem diuinæ gratiæ, quam propter ipsorum peccata, iusto iudicio Deus abstulit: deinde ex parte ipsius angelicæ voluntatis fuisse rationem congruitatis, ob quam Deus, cum posset diu sustinere, tam breui spacio eorum viam clausit, ut inferius explicabitur. Priorem partem tradunt Antistodorense libro 2. summe tract. 2. c. 6. Albertus 2. p. tract. 5. q. 25. art. 4. Bonauent. in 2. dist. 7. p. 1. artic. 1. q. 1. Ricardus artic. 2. in corpore & solutionibus argumentorum, Durandus q. 2. Scotus q. 1. §. de secundo dico, & in reportatis ead. d. q. 3. Gregor. q. 1. art. 2. Bassolis q. 1. artic. 2. Maior q. 1. quibus etiam annuere possumus Gabrielem & Ocam quos sequenti disputatione allegabimus, Masilius in 2. quest. 5. artic. 3. & Paludanum in 4. distinctione 50. questione 1. qui omnes in solam Dei voluntatem subtrahentis auxilium gratiæ suæ referunt Angeli obdurationem, non in aliquam naturæ ipsorum immutabilitatem: loquuntur autem de obstinatione demonum non quatenus consistit in animo obfirmato peccandi (huius enim propria causa ipsi sunt, nec Deus causa illius propria esse potest) sed de statu ipsorum inflexibili, & impotentia resumendi bonam voluntatem. Ex commemoratis autem Doctoribus Scotus, Paludanus, Grego-

Vasquez in 1. part. tom. II.

rius, Gabriel, Ocam & alij expresse refellunt causam illam, quam capit. 2. ex sententia quorundam assignauimus, quæ in immutabilitate naturæ Angelorum post electionem factam consistit: sed eam inferius in bonum sensum explicabimus. Hanc igitur esse propriam causam immutabilitatis demonum ab statu peccati, dubium non est, nec aliquis ex allegatis doctoribus oppositum docet. Nullus enim Catholicus negat: liberum arbitrium Angeli ex se non posse ad priorem statum, in quo fuit ante peccatum, reuocari, aut priorem voluntatem bonam, quam perdidit: resumere. Præterea fatentur omnes, potuisse Deum gratiam penitentiae demonibus concedere: quia concessa sine dubio resurgerent: nam quod videtur docere Anselmus libro 2. Cur Deus homo capite 21. non potuisse Angelum semel lapsum à peccato liberari: si de potestate absoluta Dei intelligatur, seueram nimis sententia est, quam Scholastici communiter non probant. Postremo concedunt, demones posse nunc bonam aliquam voluntatem habere, si Deus gratiam suam non denegaret: propria igitur causa immutabilitatis, & inflexibilitatis, ut ita dicam, demonum est remotio diuinæ gratiæ: veluti propria causa, ut non videat oculus, qui posset videre, est impedimentum, vel remotio obiecti.

Præterea sancti Patres assignant multas causas congruitatis, ob quas post tam breue spatium gratiam suam, quam Deus liberaliter concedere poterat, iure optimo & condigne statim post vnum peccatum demonibus negauerit: cum tamen homines lapsos diu multumque expectet, & gratiam suam illis concedat. Atque in primis quidem Angelos post vnum peccatum fuisse obdurationis, affirmant nonnulli Patres, imo de fide certissima res est. Ita consertunt ex Patribus Nyssen. (aut Nysseni potius Nemesius qui creditur auctor illius libri) lib. 1. philosoph. c. 3. & Damascenus 2. de fide cap. 4. qui lapsum Angelorum comparant morti hominum postquam non conceditur locus penitentiae. Idem sentit Gregorius 2. libro moralium capite 3. alibi 4. & 4. moralium capite 9. & 10. ubi ait, Deus non postulat spiritum ad penitentiam nequaquam reuocat. Id ipsum expresse dixerunt Chrysostomus. Homil. de Adam. Chrysost. & Eua ante medium, auctor de mirabilibus Sacra Scriptura apud Augustinum libro 1. capite 2. & Cassianus collatione 4. capite 13. & 14. & plane constat ex illo 2. Petri 2. Si enim Deus Angelis peccantibus non perperet, &c. & ex eo, quod Iudas in sua canonica ait, Angelos vero, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium in iudicium magni Dei, vinculis æternis sub caligine reseruauit, &c.

Quare igitur Angeli non fuerint à Deo veniæ consequuti, & gratiam, post peccatum, sicut homo, variè à Patribus explicari solet. Prima ratio sic homo ob imbecillitatem carnis misericordiam consequutus est, hoc est, quia carnis iudumento indutus peccauit. Angelus autem quia, cum esset purus spiritus, cecidit (in quo & suæ culpæ grauitas magis ostenditur) ideo veniam à Deo non obtinuit. Hanc rationem asserunt Nyssen. lib. 1. philosoph. c. 3. Cassianus collatione 4. c. 14. Damasc. 2. lib. de fide c. 3. Gregor. Magnus 4. libro moralium cap. 9. Isidorus summo libro capite 12. sententia 11. eam vero impugnat Bonauentura loco allegato: quia homo consecutus est veniam, etiam si carnis incensia non habuerit, ut peccaret. Cæterum prædi-

Ooo 3

51

Antistod.
Albertus.
Bonauent.
Ricard.
Egidius.
27.
Durand.
Scotus.
Gregor.
Bassolis.
Maior.
Gabriel.
Ocam.
Masili.

Damasc.

Chrysost.

Chrysost.

August.

Cassian.

2. Pet. 2.

Iudas.

29.

Nyssen.

Cassian.

Damasc.

Greg. Mag.

Isidorus.

Eti Patres non dicunt, hominem fuisse consequutum veniam, quia peccauerit à carne attractus: sed differentiam inter Angelum & hominem in hoc constituant, quod Angelus cum esset absque indumento carnis, maiorem haberet perspicacitatem, ne peccaret: homo autem, licet non fuerit à carne allectus, & absque incentivo illius peccauerit, quia tamen spiritus ipsius indumento carnis gratia contextus, non erat tam perspicax, ut peccatum vitaret: ob hanc igitur imbecillitatem misericordiam consequutus à Deo est.

Secunda ratio sit. Quia angelus nullo suggerente peccavit: homo autem etiam in paradiso suasionem dæmonis deceptus est. Hæc ratio tribuitur Cassiano: sed tenera eam non tradidit. Est autem Gregor. lib. 4. moral. cap. 10. aliis 9. & Prosper in lib. cui titulus est. Dimidium temporis, cap. 2. & Alexand. 2. par. quest. 99. memb. 7. eam tamen impugnauit S. Thom. in hoc articulo ad 4. & Bonaventura loco allegato: quia quamuis Angelus supremus non peccauerit alio suggerente, ceteri tamen suasionem, & exemplo supremi ceciderunt. Verum hoc non adeo certum esse, supra notauimus disput. 238. capit. 2.

Tertia ratio est, quia in Angelis non est lapsa tota natura, sed pars illius: in homine vero tota natura lapsa est. Hac ratione usus est Augustinus in Enchiridio capit. 29: & sequitur Ricard. loco allegato. Magist. in 2. dist. 21. c. penult. & Alexand. 2. p. 4. 99. memb. 7. huic tamen rationi videtur ob stare, quod non solum Adamus, in quo totum genus humanum peccauit, inuenit locum penitentiae, sed etiam singuli homines, qui postea peccarunt. Hæc tamen obiectio non est magni momenti: quia concessio semel penitentiae remedio Adamo, concedi etiam debuit toti posteritati, cum omnes essent ex eodem genere.

Quarta ratio, quam sequutus est Ricard. loco citato, est huiusmodi, quia angelus corruit toto conatu à felicissimo statu, in quo conditus fuerat, ideo non est consequutus misericordiam. Quam etiam indicauit Cassianus collatione illa 4. cap. 3. his verbis. Quia sicut est animas velox ad exortandum sic ad proficiendum pernix, & absoluta substantia: & dum suppedinat eis summa facilitas ea, quæ voluerunt, peragendi, conceptum malum nulla intercedens deliberatio subtilis aris emendat. Eadem ratione usus videtur Durand. in 2. dist. 7. q. 1. num. 12. & Aristod. 2. summe tractatu 2. c. 6. inquit enim, ideo Angelo non fuisse concessum locum, & spatium penitentiae: quia antea, quam peccaret, habebat intellectum (inquint illi) Dei formem, hoc est, potentem cogitare sine ulla mora. Cum vero inquit Ricardus, Angelum toto conatu peccasse: non intellegit ita peccasse, ut non potuisset intensius peccare: hoc enim incertum est: præsertim si potentia rationalis non habet terminum intrinsecum operandi secundum intentionem. Ad hanc quoque rationem ego reducem, eam quam 2. capite memorauimus. Neque enim authores illi, præsertim Sanctus Thomas, tantam perspicacitatem voluerunt angelo concedere, ut nunquam posset iudicare contrarium post electionem, & priorem retrahere sententiam, & voluntatem mutare: sed quod Angelus, propter summam velocitatem, & perspicacitatem in operando, tali promptitudine ut plurimum operetur, ut vix corrigatur. Et ideo seruans Deus proportionem debitam cum sua natura, & attendens cau-

ARTIC. II.

fas omnes memoratas lapsus ipsius, si penitentiam non concesserit, sed congrue satis negauerit.

Quinta ratio assignatur ab autore de mirabilibus Sacra Scriptura apud August. lib. 1. c. 2. quam sequitur Bonaventura loco citato: quia Angelus creatus fuit summo honoris ordine, quem in via habere posset: & tantum per contemplationem sui creatoris confirmandus erat: ideo inde lapsus non fuit reuocatus per penitentiam: homo vero in terra positus, destinatus generationi, ut inde ad meliorem vitam sine morte transiret, in statu magis remoto à beatitudine, quam Angelus, constitutus est: & ideo maius spatium concessum est homini, quam angelo: & penitentia, quam homo ex misericordia Dei consequutus est, Angelo non fuit concessa. Certè in his omnibus rationibus non mediocre discrimen apparet, propter quod satis congrue Deus homines ad penitentiam receperit, Angelos vero statim damnauerit.

DISPV. CCXL.

Quo pacto Deus suam gratiam iustificationis dæmonibus perpetuo denegat, ne conuertantur?

Opinio Scoti, capit. 1.

Due alie Scholasticorum sententia, cap. 2.

Vera opinio, cap. 3.

CAPVT I.

Opinio Scoti.

PRæcipuam causam, ob quam dæmon non potest ad Deum per penitentiam conuertere, diximus esse pernam priuationem diuine gratiæ. Cæterum inter Doctores, qui oblationem dæmonum, hoc est, impotentiam penitendi ad hanc solum priuationem, ut ad causam referunt, adducunt in controuersia positum est, quo pacto per subtractionem gratiæ Dei dæmon reddatur impotens, ut ad cor redeat, & gratiam remissionis peccatorum Deo consequatur? Scotus in repositum 2. dist. 7. q. 3. art. 2. qui respondet quæstioni secundæ, duo docet. Alterum est, angelum non posse operari opus aliquod meritorium, nec habere contritionem meritoriam: quia gratia habitualis quæ ad meritum necessaria est, perpetuo caret. Alterum est, hanc gratiam habitualement dæmonibus nunquam donandam esse: quia nunquam habituri sunt debitam dispositionem. Quomodo autem angeli debitam dispositionem nunquam habituri sint, explicat iuxta suam doctrinam, quam expresse tradidit in 4. distinctione 14. quest. 2. §. De secundo. Ibi autem inquit primum, cum solo naturali & generali concursu, absque illo dono gratiæ distincto à dono creationis, posse hominem, ac proinde etiam angelum, penitere peccatorum suorum, etiam quatenus sunt offensa Dei: quem dolorem ipse Scotus non appellat contritionem, sed attritionem toto tempore, quo contritionem post aduentum gratiæ habitualis eum appellat Scotus contritionem. Docet præterea Scotus talem dolorem ex viribus solius naturæ deoptatum ita esse dispositionem ad iustificationem ut de congruo mereatur remissionem peccatorum per infusionem gratiæ habitualis, quam Deus

36.
Gregor.
Prosper.
Alexand.
S. Thom.

August.
Magist.

31.

Durand.
Aristod.